


DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
MANDATO.

QUAM

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S.S.Th. Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd. Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Primarii, Ecclesiastæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

PAULUS SCHELTUS, HAG.-BATAV.

Ad diem 19 *Iunii, horâ, locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

PARENTI
AMICIS
ATQUE
FAUTORIBUS
SUIS.

Haud disputationem
inauguralem offert
PAULUS SCHELTUS
Auct. & Resp.





PROOEMIUM.

Pro laurea Doctorali in utroque jure consequenda moris est, quandam juris materiam publico vel eruditorum examini subjicere: & cum nulla ut, ita dicam materia in jure nostro fere sit, quin per alios fuerit ventilata, nihil novi de me exspectetis cum

Nihil sit dictum, quin sit dictum prius.

Urgente igitur solito hujus Athenei more scitu necessarium duxi.

Quid Humeri valeant, quid ferre recusent.

Contractus itaque perficiuntur vel re, vel verbis, vel literis, vel consensu. Re constantes sunt mutuum, commodatum, depositum & pignus. Verbis constans est stipulatio seu verborum obligatio. Literarum autem obligatio, olim nominibus fiebat; Jure novo fit cum quis chirographo confessus est, se mutuam ac-

cepisse pecuniam spe futuræ numerationis quæ tamen secuta non est.

Consensu constantes sunt Emptio, venditio, locatio, conductio, emphyteusis, societas mandatum. Ast vero cum omnium contractuum seriem uno ordine pertractare prolixum admodum atque difficile foret, ne etiam temeritatis atque proterviæ reus agar, haud absurdum duxi. Quandam contractus materiam publice ventilare. Ultimus itaque contractus consensu constans est mandatum, de quo autem favente Deo Opt. Max. pro inaugurali disputatione verba facere fert animus. Et ne illa quæ sum propositurus nimium intricata cuiquam videantur, primo discutiendum quid sit mandatum, unde originem trahat, quotuplex quibus mandare & mandatum suscipere permissum, ad quæ facta, quales mandati nomine veniant actiones, quibus & adversus quos & quomodo fineatur.

DISPU-

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
MANDATO.

THESIS I.

Ordine igitur ut procidamus videndum quid sit Mandatum est contractus juris gentium *§ 2 in fine. Inst. de jure nat. gent. & civ. l ex hoc jure 5. ff. de just. & jure.*, bonæ fidei, *§. actionum 28. Inst. de Action b.* Nominatus, consensu constans quo negotium honestum, alteri id suscipienti gratis gerendum committitur *arg. l. juris gentium 7. § quæ pariunt 1. ff. de pactis. l. 1 in princ. ff. mandati l. 1. & 2. & tot. tit. ff. & C. mandat.*

II.

Mandatum primo duplex, aliud est generale; de omnibus negotiis, aliud speciale, de quibusdam negotiis *l. procurator 1. §. 1. l. mandato 60. l. procurator 63. ff. de procurat. l. solutum 11. §. ult. ff. de pign. act. l. Si quis mihi: 25. § 5. ff. de acq. hereditat.* Illud iterum cum libera, vel sine libera administratione. *l. mandato 60. l. procurator. totorum. 63. ff. de procurat. & defens.* Vel secundo aliud expressum est, aliud tacitum;

 nam

nam qui præsens & sciens patiatur sua negotia gerere mandasse videtur. *l.* 18. *l. qui fide* 53. *ff. mandati l.* 1. §. 1. *l. si remunerandi.* 6. §. 2. *ff. eod.* Sola enim taciturnitas ex parte mandatarii non facit mandatum, sed declaratio & consensus desideratur, cum alias enim magis consilium quam mandatum esset. *l.* 8. §. 1. *ff. de procurat.* §. 1. *Inst. per quas pers. agere poss. princ. Inst. &* §. 6. *Inst. de mandato.* differunt quod mandatum in se habeat necessitatem implendi, consilium non *item l.* 47. *R. Iuris.* Tertio vel aliud purum est aliud in diem, aliud sub conditione *l.* 1. § *pen. ff. mandati*, §. *pen. Inst. eod* Vel quarto aliud ad negotia judicialia, aliud ad extrajudicialia *l. servum* 33. *in princ. &* §. 1. *ff. de procurator.* Vel denique mandatum aliud fit gratia mandantis, aliud mandantis & mandatarii, aliud aliena gratia, aliud mandantis & aliena, vel mandatarii & aliena, vel mandantis mandatarii & aliena gratia *l.* 8. §. 4. *ff. mandati l.* 2. *eod.* §. 1. *&* 2. *Inst. eodem.*

III.

Cum autem mandatum originem ex officio & amicitia trahat *l.* 1. §. *ult. ff. mandat.* Sequitur omnes mandare & mandatum suscipere posse, qui pascisci & efficaciter obligari. Hinc manifestum est, non posse furiosum *l.* 2. *ff. de Procurat.* *l.* 5. *ff. de R. I.* non deportatum *arg. l.* 2. *C. de bonis proscript.* Non minores sine tutoris vel curatoris auctoritate. *arg. l.* 2. *C. de in. int. rest. minor.* Non mulieres causas alienas. *l. quanquam* 7. *ad SC. Vellejan.* quamvis recte iis demandetur negotium quod virile non est. *l. sed etsi.* 7. §. 1. *ff. de Inst. act. l.* 3. *ff. de negotiis gestis. l. idemque* 10. §. *si cui* 6.

ff.

ff. mandati. Mandare & mandatum ſuſcipere poſſunt tam unus, quam plures, qui ſinguli in ſolidum obligantur, unius tamen ſolutione reliqui liberantur. *l. Creditor.* 60. *§.* 2. *ff. mandati.*

IV.

Mandari poteſt omne factum honeſtum & licitum, *l. ſi remunerandi* 6. *§.* 3. *&* 7. *l. vero* 12. *§. ſi adoleſcens* 11. *ff. mandati. §. illud quoque Inſt. eod.* Itaque nullum rei turpis vel prohibitæ mandatum, ne quidem jure jurando confirmari poteſt *l. non dubium* 5. *C. de legib. cap. non eſt obligatorium.* Imo illud ſi impletum fuerit eadem pæna mandans & mandatarius afficiuntur *arg. l. is damnum* 169. *ff. de R. I. l. nihil intereſt.* 15. *§.* 1. *ff. ad leg. Corn. de Sicc. l.* 11 *§.* 3. *ff. de injuriis.* Julius Clarus *lib.* 5 *§. final. quæſt.* 89. *num.* 1. Licet autem tale mandatum non eſt obligatorium, qua mandatnm, obligatorium tamen eſt quatenus delictum *l.* 11. *§.* 3. *ff. de injuriis.*

V.

Mandari quoque ſua natura non poſſunt actus legitimi *l. actus.* 77. *l.* 123. *ff. de R. I.* ſunt autem actus legitimi, qui ex ſolennis juris uſu ſunt. *arg. l.* 2. *§.* 6. *ff. de Orig. Iuris.* Quales ſunt hereditatis aditio *l. per procuratorem.* 9. *ff. de acquir. vel omitt. hered.* Emancipatio *l. actus* 77. *ff. de R. I.* Adoptio *l. neque* 24. *l. poſt mortem* 25. *ff. de adopt.* Tutoris datio quæ fit à Magiſtratu. *l.* 77. *ff. de R. I. arg. l.* 6 *§.* 1. *ff. de tutelis. §.* 1. *Inſt. de act. tut.* Acceptilatio *l. & per* 13. *§.*

tu-

tutor. 10. *ff. de accept.* Servi, optio. *l.* 77. *ff. de R. I. l. apud* 20. *ff. de optione legata.*

V I.

Plane mandato æquiparatur ratihabitio eamque pene semper non habet *l. ult. C. ad Senatusconf. Maced.* Dico *pene*: nam vel meum negotium per alium est gestum, vel alienum. Si meum, vel gestum est meo nomine vel non meo nomine. Si meo nomine tunc ratihabitio omnino æquiparatur mandato sic ut & actio mandati competat *l. semper* 60. *ff. de R. I. l.* 56. *ff. de judiciis* si non meo tunc vi ratihabitionis non nisi negotiorum actio competit. *l.* 5. *§.* 1. *ff. de neg. gest.* Si alienum vel illud nomine meo gestum est, & ratione ejus quod mea interest, non mandati sed negotiorum gestorum actio competit. *l.* 6. §. 9. *&* 11. *ff. de neg. gest.* si nomine alieno, nec mea interest ratihabitione nihil agetur *l.* 6. §. 6 *ff. eod.* Liberum quoque ei est qui mandatum suscipit, illud iterum alteri mandare dummodo, si ad litem constitutus sit id demum post litiscontestationem faciat *l.* 8. *§.* 3. *ff. mand. l.* 11. *&* 22. 23. *C. de procurat.* censetur quidem electa mandatarii industria. Sed & illam in alio facile inveniri potest *l.* 13. *ff. de contrah. & com. stipulat.* Si tamen specialis lex vel natura negotii vel utilitas publica obstet contrarium enim tunc obtinet *l.* 5. *ff. de jurisdict. l.* 10. *C. de pactis.*

V I I.

Ex mandato nascitur actio duplex directa, & contraria. Directa est actio personalis bonæ fidei competens

tens

tens mandanti adverſus mandatarium, ad id, ut exſequatur mandatum ſuſceptum, juxta præſcriptum modum, & reddat rationem adminiſtrationis ac reſtituat, quod penes eum ex adminiſtratione reſidet: quapropter, ſi ſuſceptum mandatum, cum juſtam non implendi cauſam, non haberet, non impleverit, vel negotium exequi neglexerit *l. ſi maritus* 5. *C. de mandato*, aut perperam, vel non ut mandatum eſt, geſſerit, ad id quod intereſt tenetur *l. cum mandati* 12. *l. cum per* 9. *ff. mandati. l.* 11. *C. eod. l. ad comparandas* 16. *C. mandati.* Contraria mandati actio competit mandatario adverſus dominum mandantem, ad repetendas impenſas in negotium bona fide geſtum factas. *l. inter* 26. §. *ult. l. ſi quis* 27. §. *penult. l.* 45. §. *ſi fidejuſſor ff. mandati.* & ſi quid præterea intereſt *l ſi vero* 12. §. *ſi mihi l. ſi mandavero* 22. §. *interdum* 2. *ff. mandati.*

VIII.

Præſtat ut diximus mandans, contrario judicio conventus omne quod mandatarii intereſt. *l. vero* 12. §. *ſi mihi* 9. *l. ſi mandavero.* 22. § *interdum* 2. *ff. mandati.* ſc. quod proxime non remote intereſt: nam ſi mandatarius, mandati exſequendi gratia iter faciens, ſpoliatus ſit, caſui fortuito imputabitur, nec à mandante damnum illud reparari debebit. *l. inter cauſas* 26. §. *non omnia* 6. *ff. maudati. arg. l. contractus* 23. *in fine ff. de R. I.*

IX.

In exequendo mandato, bonam fidem adhibere debet mandatarius. *l. ſi proprio.* 46. §. *procurator.* 4. *ff.*

 de

de procurat. l. idemque 10. *in princ. ff. mandati.* & vero nonnulli sunt, qui putant mandatarium tantum teneri de dolo, & ea culpa, quæ dolo æquiparatur, hac ratione moti, scilicet quod mandatum principaliter celebretur solius mandantis gratia *l.* 1. *ff. de procurat. l.* 5. *§. nunc videndum* 2. *ff. commod.* Mihi tamen verius videtur, mandatarium, quia sese quasi obtulit, de dolo, lata, levi, & levissima culpa teneri *l.* 13. *l. in re mandata.* 21. *C. mandati. l.* 1. *ff. §. ult. ff. eod.*

X.

Non debet mandatarius fines mandati excedere, alioquin non ipsi contrarium mandati judicium competeret. *l. potest* 41. *ff. mandati.* V. G. mandavi alicui ut domum mihi compararet centum aureis, & emerit centum & viginti, ne tunc quidem negotiorum gestorum actio competit: cum limitatio facta sit, quæ continet exclusionem, exclusio vero prohibitionem *l. ult. C. de neg. gest.* Nam qui inviti & prohibentis negotio gerit, non habet negotiorum gestorum actionem, possum tamen ego mandans adversus te agere, modo te indemnem servare paratus sum. Mandati fines non egreditur mandatarius, si domum minoris emat, nam qui certo pretio rem sibi emi mandat, etiam minoris, si possit, eam sibi emi mandasse videtur, hic enim majori summæ inest minor. *l.* 5. *§. ult. ff. mandat. §. is qui,* 8. *in fine Inst. eod.*

X I.

Licet mandatum sit gratuitum, ita ut nulla merces intervenire queat, observandum tamen est, quod per spe-

speciale pactum fieri posset ut non sit gratuitum. V. G. intervenire potest, promissio seu pollicitatio salarii; Quod salarium vel certum est vel incertum, si certum sit V. G. si quis dicat se daturum centum aureos, qui tunc peti possunt, non tamen actione mandati, sed extra ordinem implorato scilicet judicis officio *l. salarium 7. in princ. ff. mandati.* si incertum sit, peti non potest *l. 7. l. 56. §. 3. ff. mandati. l. 1. 17. C. eod.* Advocati tamen, non promissum petere possunt, quia eorum officium publicum. *l. 4. ff. de extraord. cognition.* Non procuratores, quia eorum officium privatum est *l. 7. l. 56. §. 3. ff. mandati. l. 1. 17. C. eod.* Interveniente enim mercede, non erit mandatum, sed potius locatio conductio. *§. ult. Instit. de mandato.* Sin certa merces non sit constituta, sed postea Dominus tantum se daturum promiserit quantum inter eos convenerit, erit contractus innominatus, & datur actio præscriptis verbis. *arg. l. si tibi 22. ff. de præscript. verbis. §. qua de causa Instit. de locat. conduct.* Si non intervenerit merces, nec quantum inter mandantem & mandatarium convenerit, quia gratuitum, erit mandatum.

XII.

Finitur mandatum primo Revocatione ex parte mandantis *l. 12. §. penult. l. 15. ff. mandati.* vel re integra, vel non integra, priori casu mandans non tenetur ad interesse. Posteriori vero mandatario tenetur ad id quod interest. *l. 15. l. inter 26. in princ. ff. mandati.*

Finitur præterea Renunciatione ex parte mandatarii *l. si mandavero 22. §. ult. l. si quis 27. §. 2. ff. mandat. §. mandatum 11. Instit. eod.* nec interest res sit integra

 vel

vel non, modo si renunciatio fiat, re non integrâ, mandatarius mandanti ad id quod interest teneatur, ne sc. alius melioris alius deterioris esset conditionis. Nisi tamen justæ, renunciandi causæ intercesserint. *l.* 23. *& seqq. ff. mandati. l.* 27. §. 2. *ff. eod.* §. *si mandavero* 11. *Inst. de mandato.*

Evanescit insuper mandatum, morte mandantis & mandatarii. Morte mandantis. §. *item* 10. *Instit. h. t. l.* 26. *in princ. l.* 57. *& seqq. ff. mandati. l.* 15. *C. eod. l. ult. ff. de solut.* ita quidem ut nec mandatarius nec heredes obligentur, licet reg. quisque sibi & heredibus contrahit: ratio est, quod mandati implementum tantum dependeat ex voluntate mandantis atque voluntas morte extinguitur, per consequens & mandatum *l.* 4. *ff. locat.* Attamen si ignorans mandantem decessisse mandatum impleverit, mandatarius tamen agere potest ex æquo & bono ne ei justus noceat error. § *item si* 10. *Instit. h. t. l.* 26. 58. *ff. mandat.* sic quoque non finitur mandatum, morte mandantis, quoties tale quid mandatum sit, quod non nisi post mortem, impleri potest *l.* 14 §. 2. *ff. de rell. & sumpt. funer. l.* 12. §. *ult. ff. mandati.*

Denique finitur morte mandatarii *l.* 27 §. 3. *ff. mandati*, quia industria personæ est electa, quæ cum persona extinguitur *l.* 57. *ff. mandat.*

FINIS.

COROL-

COROLLARIA.

I.

In mutuo eſt alienatio.

II.

Commodatarius de leviſſima culpa tenetur.

III.

Mulier tutrix liberorum ad ſecunda vota tranſiens ipſo jure expellitur à tutela licet prior maritus aliud teſtamento diſpoſuiſſet.

IV.

Uſucapio non repugnat æquitati naturali.

V. *Mu-*

V.

Mulier fidejubere poteſt modo renunciet SC. Vellejano.

VI.

Fidejuſſor in majorem ſummam acceptus, quam reus principalis tenetur tamen ad ſummam concurrentem.

FINIS.



Eruditissimo Viro-Juveni

D. PAULO SCHELTUS,

Cum post luculentam

DE

M A N D A T O

Publice habitam disputationem

Juris Cæsarei ac Pontificii Doctor crearetur.

Post sævos nimbos, multasque ob littora curas
In gremium recipi, portusque tenere petitos,
Implet spem nautis, quin magno fœnore ridet,
Tu quoque *SCHELTE* feris dudum jactatus in undis,
Per medios scopulos, perque auctas rupe procellas
Audacter gemini permensus es æquora juris,
Donec in optatam conjecta est anchora terram.
Attica Leida tibi legum moderamina cedit,
Orbi quæ cecinit *Cæsar*, vulgandaque misit,
Justarum legum cupidis exponere Belgis,
Te duce respiret quò sacræ sanctio legis.
Dum divina *Themis*, quæ te lactavit, amore
In te defixos retinet sibi luminis orbes,
Et tua præclaro præcingit tempora lauro,
Quæ tibi perpetuum spondet per secula nomen.

H. S. B.